



**Monumentum Holmiae positum Renato Des Cartes, nobili
Gallo : qui consulta, et sic tandem penitus inspecta ac
excussa, ipsa rerum natura primus abdita ejus, ignorata
hactenus, novo ac imitando omnibus exemplo, reclusit, et ad
veram sapientiam viam fecit**

<https://hdl.handle.net/1874/22021>

MONUMENTUM
HOLMIÆ
POSITUM
RENATO DES CARTES,
NOBILI GALLO,

QUI CONSULTA, ET SIC TANDEM PENITUS INSPECTA AC
EXCUSSA, IPSA RERUM NATURA PRIMUS ABDITA EJUS,
IGNORATA HACTENUS, NOVO AC IMITANDO
OMNIBUS EXEMPLIO, RECLUSIT, ET AD
VERAM SAPIENTIAM VIAM FECIT,

A B

ILLUSTRISSIMO VIRO,
PETRO CHANUTO,
Christianissimi Regis ad CHRISTINAM,
Celsissimam Eruditissimamque Suedo-
rum Reginam, Legato.

C I O I O C L.

Accedunt & aliorum Epicedia.

POSTERI VIRTUTEM IMITANTOR.



LUGDVNCI BATAVORVM,

Ex Officina FRANCISCI HACKII, A° 1650.

21170

A1

SENeca.

*NON EUNDUM EST QVO ITUR, SED
QVO EUNDVM EST.*



D. O. M.

Regnante CHRISTINA,
GUSTAVI Primi pronepti,
Magni filia,

Auorum incepta Patriaq; terminos
Victoriis novis promovente,
Pacem demum armis quæsitam
Artibus ornante,

Accitis undique terrarum
Sapientiae Magistris,
Ipſa in exemplum futurâ;

RENATUS DES CARTES,

Ex Eremo Philosophicâ

In lucem & ornamentum Aulae vocatus,
Post quartum mensem morbo interit:
Et sub hoc lapide
Mortalitatem reliquit.

RENA TUS DES CARTES, Perronii Dominus &c.

Ex antiqua & nobili inter Pictones & Armoricos gente,

In Gallia natus,

Acceptâ quantâcumque in scholis tradebatur eruditione,

Expectatione suâ votisq; minorē,

Ad militiam per Germaniam & Pannoniam adolescens profectus,

Etiotijshybernis naturæ mysteria componens cum legibus Mathefeos,

Vtriusque arcana eâdem clavi referari posse,

Ausus est sperare,

Et omisis fortuitorum studiis in villulâ solitarius,

Propè Egmundam in Hollandia,

Affida viginti quinque annorum meditatione, austo potitus est.

Hinc Orbe toto celeberrimus,

A Rege suo conditionibus honorificis evocatus,

Redierat ad contemplationis delicias;

Vnde avulsus admiratione MAXIMAE REGINAE,

Quæ, quicquid ubique excelluit, suum fecit,

Carissimum dñe *scđo* *of audie* *& I. d. L.*

Noverint posteri
Qualis vixerit RENATUS DES CARTES:
Vt cuius doctrinam olim suspicent, mores imitentur.
Post instauratam à fundamentis PHILOSOPHIAM,
Apertam ad penetralia NATVRAE mortalibus viam,
Novam, certam, solidam,
Hoc vnum reliquit incertum,
Major in eo Modestia esset, an Scientia.
Quæ vera scivit, verecundè affirmavit.
Falsa non contentionibus, sed verò admoto refutavit.
Nullius antiquorum obrectator; nemini viventium gravis.
Invidorum criminationes purgavit innocentia morum.
Injuriarum negligens; Amicitiae tenax.
Quod summum tandem est,
Ita per creaturarum gradus ad Creatorem est conatus,
Vt opportunus CHRISTO Gratiae auctori,
In avitâ religione quiesceret.

I nunc, viator, & cogita,
Quanta fuerit CHRISTINA, & qualis AULA,
Cui mores isti placuerint.

Poferice facies monumenti.

Christianissimi Regis LUDOVICI XIII.

LUDOVICI Justi filii,

HENRICI Magni nepotis,

ANNÆ Austriacæ,

Optimâ, Prudentissimâ, Fortissimâ Reginâ,

Annos & regnum filii Regente,

Legatus ordinarius, PETRUS CHANUT,

Hoc monumentum,

Ad Gloriam DEI, bonorum omnium datoris,

Galliei nominis honorem,

Perpetuam memoriam amici charissimi,

RENTIDES CARES,

Poni curavit.

Anno septimo ab excessu LUDOVICI Justi.

M A N I B U S
V I R I M A X I M I
R E N A T I D E S C A R T E S.

Venerat ad placidam Gallus C A R T E S I V S Arcton,
Otia & armato fugientes Orbe Camænas
Dum sequitur, famamque magis studiumque vocantis
C H R I S T I N A E; quæ, dum bellis longinqua fatigat,
Una sibi constans rectoque immota quiescit.
Hic animo ingentem rerum non impare molem
Versans, atque operis subtilia fila retexens,
Viderat, attonitoque audax vulgaverat Orbi,
Quid Cœlum, quidve Astra forent, quid terra, quid æther,
Alternique vices ponti, magnetis amores,
Unde novos semper Divina hæc machina vultus
Induit, & tota occulta versatilis arte
Exanimis, non sponte sua, sed lege movetur.
Hinc triplices etiam vitas, spirantia motu
Corpora tentabat, quo se contraria jungunt
Federe, vitalique cident elementa calore.
Unde illis varii sensus, & certus agendi
Impetus, unde timent, cupiunt, gaudentque, dolentque.
Nec tenebris sese ulla suis jam causa tegebatur:
Tum primum velis patuit natura reductis,

*Pulchra quidem; sed se nudam indignata videri
Erubuit, Tyrio sic non impune Diana.
Objecta est, operumque timens arcana suorum
Exponi cunctorum oculis, afflavit acuta
Febre virum, & letho vocem comprescit acerbo.
Hunc discors bello concors Europa dolore
Flevit, & ipsa suos inter laudata triumphos,
Præter devictos longo certamine Reges,
Hoc habuit, quo se fortem REGINA probaret.*

ILLUSTRISSIMO VIRO,
P E T R O C H A N U T O,
UT SANGUINE, ITA ET AFFECTU
IN
M A G N U M
C A R T E S I U M
CONJUNCTISSIMUS
P O R L I E R.



EPITAPHIUM.

Qui sibi demeruit totum C A R T E S I U S orbem,
Extremum fati transigit ille diem.
Avia cui Veterum visa est Sapientia, veram
Prætulit antiquæ, præposuitque novam.
Sunt imitatores servum pecus. Hunc venerare;
Naturam agnosces hoc præeunte ducem.

RENATO DES CARTES, NOBILI GALLO, PERRONII DOMINO,

CUI QUANTUM SIT QUOD NESCIMUS NON IGNORANTI, ET MA-
XIMAM PARTEM EORUM QUÆ SCIMUS, MINIMAM EORUM ESSE
QUÆ IGNORAMUS, ET NESCIRE PLEROSQUE EA, QUÆ TAMEN
JACTANT SE SCIRE AC PRÆSUMUNT, ADEOQUE DOCERIFERE
AC TRADI QUÆ DEDISCERE SIT NECESSE, DE RECEPTIS HAC-
TENUS PHILOSOPHORUM SENTENTIIS DUBITARE, BONUM FA-
CTUM VISUM EST, UT DUBITANDO SIBI AD SAPIENTIAM ALI-
ISQUE REGIAM VIAM FACERET; QUI ÆQUÆVAM NATURÆ RE-
RUM PHILOSOPHIAM, ET SIC VERAM AC ANTIQUAM, RED-
DIDIT, EANDEMQUE, POST FOEDISSIMAM TOT SÆCULORUM
SERVITUTEM IN LIBERTATEM TANDEM ASSEQUI, ET QUASI

MANUMISIT; CUI UNIVERSAM RERUM NATURAM ANIMO
MAGNO AC AUSU, ET SINE ULLO DUCE, CIRCUMEUNTI, INTI-
MOSQUE EJUS RECESSUS SERIO AC DILIGENTER INSPICENTI,
NEQUE ANTIQUA PLACUERUNT QUA ANTIQUA, NEQUE DIS-
PLICUERUNT NOVA QUA NOVA, CUM QUÆ NUNC ANTIQUA
SUNT ALIQUANDO FUISSE NOVA, ET QUÆ NUNC NOVASUNT
ALIQUANDO FUTURA ANTIQUA, NON IGNORARET, SED QUA
FALSA AUT VERA DEPREHENDEBANTUR, NOVA CONDITA
EST AC VERA PHILOSOPHANDI RATIO, ET ICCIRCO DURA-
TURA, AC ANTIQUA ALIQUANDO FUTURA; HOC MONU-
MENTUM POSUIT, ET CUM EO, QUOD MARMOREUM
EI ILLUSTRISSIMUS CHRISTIANISSIMI REGIS AD

CHRISTINAM,

CELSISSIMAM ERUDITISSIMAMQUE SUEDO-
RUM REGINAM, LEGATUS,

PETRUS CHANUTUS,

PO NENDUM CURAVIT,

L. M. Q.

CONJUNXIT

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

SOLA FORMA MENTIS ÆTERNA EST.

